

Band XI., Nr. 5145, Seite 150-151

König Adolf von Nassau verpfändet dem Kloster St. Gallen Gericht und Vogtei des Reichs über Kloster und Stadt St. Gallen, über Wangen und Altstätten.

Im Lager bei Heppenheim, 1298. Juni 30.

Nos Adolfus dei gratia Romanorum rex semper augustus recognoscimus et presentibus profitemur quod venerabili Wilhelmo de genere comitum de Monte Forti abbati monasterii Sancti Galli Constanciensis dyocesis et in persona sua eidem monasterio in trecentis marcis argenti sumus nostro et imperii nomine ex causis infra scriptis debitores et legittime obligati. Nam cum nobili viro Heinrico de Ffrouwemberg fideli nostro dilecto propter grata sua servitia presentia et futura, ad que facienda idem se nobis et imperio obligavit, centum et quinquaginta marcas argenti, cumque ex eadem causa strennuo viro Gerwico dicto Gussen de Gussemberg fideli nostro dilecto quinquaginta marcas argenti pro uno dextrario comparando promiserimus nos daturos, nos dictis Heinrico et Gerwico prefatum abbatem principem nostrum dilectum pro summa pecunie supradicte ad ducentas marcas ascendentē delegavimus debitorem et constituimus solutorem accedente eorundem hinc et inde unanimi voluntate, sic igitur ex hac causa in ducentis marcis tenemur abbati et suo monasterio memoratis. Preterea cum idem abbas nobis duos dextrarios et quedam arma pro centum marcis argenti vendiderit, trecento marce argenti in summa resultant, in quibus dicto abbati et suo monasterio nostro et imperii nomine dinoscimur obligati. Pro qua quidem pecunia eidem abbati et suo monasterio iudicium et ius advocationis antiq[u]um nobis et imperio quoad ipsum monasterium et civitatem Sancti Galli nec non quoad opida in Wangen et Altsteten homines res bona et possessiones ipsius monasterii in quolibet suo territorio et districtu pertinens cum redditibus et obventionibus universis ad idem iudicium et ius advocationis ab olim spectantibus et annexis eisdem pignori obligavimus, proventibus eorundem quos dicto abbati et suo monasterio donamus in sortem minime computandis, tamdiu tenendum et titulo pignoris pacifice possidendum, quo usque dicte trecento marce argenti dicto abbati vel suis successoribus et ipsi monasterio plenarie fuerint persolute. Verumtamen quia quosdam certos redditus dicti iudicij et iuris advocationis strennuo viro Walthero villico de Altsteten pro quadam summa pecunie dicimus obligasse, promisimus nos facturos quod dictus Waltherus villicus renuntiabit et cedet obligationi huiusmodi sibi facte, quod si non fecerimus et ipsum abbatem data pecunia cessionem huiusmodi contigerit

II

ordinare, eam pecuniam quam idem ob causam huiusmodi dederit premissis trecentis marcis argenti ipsi abbati ut premittitur debitum sub omnibus pactis et conditionibus obligationis pignoraticie supradicte volumus cumulari adici et annexi. Ceterum dicto abbati et suis successoribus durante obligatione pignoris supradicti damus auctoritatem et liberam potestatem ponendi et statuendi iudicem qui presideat iudicio supradicto cui iudici taliter statuendo exnunc damus auctoritatem exercendi merum et mixtum imperium, hoc est animadvertisendi in facinorosos et mittendi in possessionem ac alia exercendi que ad huiusmodi spectant iurisdictionem et iudicium ab antiquo cum simplici cohortione, sicut huiusmodi auctoritas a pro tempore presidentibus imperio per iudices huic iudicio presidentes consuevit exigi et concedi, presentium testimonio litterarum nostre maiestatis sigilli secretorum robore munitarum.

 Datum in castris apud Heppenheim, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione undecima, II. kalendas Julii, regni vero nostri anno septimo.

—
Der Textabdruck folgt dem Original.

 An grünen Leinenfäden ein Rest des Siegels, eingenäht.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

Stiftsarchiv St. Gallen

Signatur/Titel des Originals:

Urk. St. Gallen S.2.C.5.

Editionen:

JOSEPH EUTYCH KOPP: Geschichte der eidgenössischen Bünde, mit Urkunden, 5 Bde., Leipzig 1845-82, Bd. 1, S. 48, Nr. 30. HERMANN WARTMANN (BEARB.): Urkundenbuch der Abtei Sankt Gallen, 4 Bde., Zürich und St. Gallen 1863-1899 [unveränd. ND Frankfurt am Main 1981], Bd. 3, S. 297, Nr. 1106. Chartularium Sangallense, Bd. 4, S. 518 f., Nr. 2452.

Regesten:

Regesta Imperii Abt. 6, Bd. 2, S. 362, Nr. 998.

Weitere Angaben

Überlieferungsart:

Ausfertigung

Beschreibstoff:

Pergament

Format:

21 x 32 cm (abweichend vom üblichen Format der Königsurkunden)

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Im Lager bei Heppenheim

Aussteller:

Adolf; von Nassau, König

Ortsindex:

Altstätten, Kt. St. Gallen, Schweiz
Feuerbach : Stuttgart S
Feuerbach Wohnplatz (17)
Güssenberg Wüstung (22443)

IV

Güssenberg, Hermaringen, HDH, W
 Heppenheim, HP
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Montfort, Götzis, Vorarlberg, Österreich
 St. Gallen, Kt. St. Gallen, Schweiz
 Wangen im Allgäu Wohnplatz (20537)
 Wangen im Allgäu, RV